



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Punct. I. Quid sit definitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

eus Philosophia. Si autē dicas, *Petrus bonus est Philosophus*, nomen *bonus* non appellat supra Petrum ut Philosophum, sed supra Petrum materialiter sumptum, ita ut sensus sit *Petrus bonā indole*, seu excellenti virtute praeeditus est Philosophus. Hae appellationes materialiter dicuntur, & illa formalis. Circa appellationem duo bene notat Fonseca. Primo nomen appellans vel esse adiectivum, vel instar adiectivi se habere; & nomen appellatum substantivum esse, vel se gerere instar substantivi, quia appellatum quasi substantivum appellanti, & appellans quasi appellato adiacet. Secundo notat nomen appellatum aliquando sumi materialiter, ut patet in exemplis allatis, *Petrus bonus est Philosophus*, & *Petrus est Philosophus bonus*, in quarum priori propositione nomen appellatum videlicet *Petrus* materialiter sumitur, & in posteriori formaliter: nomen vero appellans semper sumitur formaliter. Quia si materialiter sumeretur loco appellationis, puerilis quædam, & nugatoria repetitio fieret, cum enim diceremus, *Petrus est vir magnus*, si terminus *magnus* materialiter sumeretur, sensus esset, *Petrus est vir vir*, seu *Petrus est vir Petrus*.

Nonnullas regulas inuenio apud auctores ad cognoscendum, quomodo fiat nominum appellatio, an supra materiale, an supra formale significatum, nullam tamen fixam inuenio, neque firmam ratione stabilitam, dependet enim multum nominis appellatio ex materia in qua fit, ex subiecto appellato, ex modo loquendi, ex antecedentibus, & consequentibus, ex linguarum idiomate, aliisque circumstantiis, quas si inspiciant periti linguarum cuius propria sunt nomina, facilius appellationes cognoscunt. Neque alia potest dari regula, quæ in omnibus casibus indefectibilis sit, reperitur enim propositio terminis eodem modo dispositis, in quarum una subiectum materialiter, & in altera formaliter appellatum inuenies. Exemplum sit in his propositionibus: *densum occupat paruum spatium: densum est dulce*, in quarum prima subiectum formaliter est appellatum: quia densum ut densum formaliter occupat paruum spatium; & secunde subiectum materialiter est appellatum. Similiter subiectum huius propositionis *album est dulce*, materialiter appellatur, & subiectum huius *album est pulchrum*, formalem habet appellationem. Eadem ratione hæc propositio *Tullius magnus fuit orator*, significat Tullium magnum arte oratoria fuisse oratorem, quod est subiectum formaliter appellari; si vero de alio homine similis propositio enunciaretur, subiectum materialiter appellaretur, vulgare enim exemplum appellationis materialis esse solet *Petrus magnus est Philosophus*. Scio harum distinctarum appellationum nonnullam inueniri rationem, verumtamen si ex illa velimus regulam constituere, tot ferè regulas instituemus, quod propositiones inuenientur.

Neque audiendi sunt Fonseca lib. 8. cap. 4. & alij Summulista, qui cum asserunt hanc appellationem *vidi Papam* formalem esse, & materialem istam *Papam vidi*, ita ut sensus prioris propositionis sit, *vidi hominem*, quem Papam esse cognoui; & posteriori asseratur, *vidi hominem*, qui est Papa, non tamen agnoui Papam esse. Idem asserunt de his propositionibus, *vidi venientem*, *venientem vidi*, & aliis similibus. Quod gratis & sine fundamento dicitur, aliæque impugnatione non indiget.

CONTROVERSIA II.

De sciendi instrumentis.

SCIENDI instrumenta sunt Definitio, Divisio, & Argumentatio, de quibus præsens instituitur Controversia.

PUNCTUM PRIMUM.

Quid sit Definitio.

Definitio, quæ apud Latinos finitio dici solet, ab agnitionis finibus nomen desinit, sicut enim fines, seu termini agnitionis ita agnoscentibus, ut nihil

horum extra illos reperitur, ita definitio sua definita vndeque comprehendit, ut nullum sit quod definitione non cingatur, neque aliquid definitio amplectatur, quod naturam definiti non contineat. Est igitur definitio oratio explicans naturam rei. Oratio dicitur, quia necessario plures dictiones debet continere, quædam ex vi cuius definitum cum aliis contineat, quod nomen oratio præstat in definitione positum, est enim commune multis, quæ definitiones non sunt: aliam ex vi cuius definitum fecernatur à reliquis omnibus, de quibus definiendis ex vi illius definitionis non agitur. Hoc præstant relique particule explicans naturam rei. Hoc enim quod est explicare rei naturam proprium est definitionis. Idem videre est in quacunque definitione, adduco communissimam *animal rationale*, in qua nomen *animal*, seu conceptus illi respondens commune est non hominibus, *rationale* autem coniunctum animali, ita proprium est hominis ut nulli ab homine distincto correspondeat. Conceptus multis communis, qui in definitione reperitur, genus dicitur; & proprius conceptus definiti differentia appellatur, ex quo fit definitionem omnem constare genere, & differentia, vel aliquo, loco generis, & loco differentie, quia non quidquid aliis commune est generis propriam rationem habet, licet in definitione vices generis obtineat.

Vulgò tota hæc propositio, *homo est animal rationale*, definitio hominis solet appellari, verumtamen adæquata definitio consistit in altero extremo, *animal rationale*. Ob hanc rationem rectè dicebat Aristoteles 1. *Periherm.* cap. 4. ipsam hominis rationem, definitionem, enunciationem non esse, nisi vel *est*, vel *erit*, vel *erat*, aut aliquid addatur, quia unum est, & non multa. Rationem manifestè conuincit, hæc propositio *homo est animal rationale*, continet ipsum definitum, videlicet *homo* quod neque est sui ipsius definitio, neque pars suæ definitionis: ergo subiectum illius propositionis *homo est animal rationale*, omnino est extra hominis definitionem. Neque huic conceptui *animal rationale*, qui est definitio hominis, adiungendus est conceptus alius definiti, ut illius essentiam explicet, aliàs esset instar cuniculi picturæ, cui adscribendum esset, *Hic est cuniculus*, ut suum prototypum repræsentaret. Ideo dicebat Aristoteles 6. *Topic.* cap. 2. definitionem talem esse debere, ut ipsa proposita statim nulloque negotio cognosci possit cuius rei sit definitio.

Increbruit iam apud omnes diuisio definitionis in *definitionem nominis*, & *definitionem rei*, licet definitione rei etiam nominis definitio posset comprehendere, cum nomen res sit vniuersalissimum transcendens, quod etiam nomen comprehendit. Verumtamen familiare est omnibus Philosophis distinguere res significatas per nomina ab ipsis nominibus res significantibus, ideo specialiter definitio nominis à definitione rei diuiditur. Definitio nominis illa est, quæ essentiam nominis declarat, & cum huius essentia, & quidditas sit rem significare, definitio nominis erit illa, quæ explicat significationem nominis, & declarat ad quid significandum sit impositum. Ideo Aristoteles 7. *Metaphysic.* cap. 4. & 2. *Poster.* proprius nominis interpretationem appellauit explicationem, quæ modò vulgus nominis definitionem appellat. Definietur ergo hoc nomen *homo*, vox imposita ad significandum animal rationale. Notat bene Fonseca inquirenti nominis definitionem sæpe satisfieri definitione rei significatæ per nomen, ut cum quis rogat, *quis est homo*: ex intentione cognoscendi nominis significationem, & non primariò rem significatam; illique responderetur, *est animal rationale*, rectè significationem nominis deprehendit, agnoscitque, hoc nomen *homo* impositum esse ad significandum animal rationale.

Ad nominis definitionem redacuntur orationes illæ, quæ explicant nominis originem, ut cum dicimus, *Dux est, qui alios ducit, atque gubernat*. Miles est, qui est ex millibus electus. Consul est, qui Reipublicæ utilitati consulit.

Definitio rei vulgò diuiditur in *essentialem*, *descriptiuam*, & *causalem*. Definitio essentialis est, quæ explicat naturam rei per ea, quæ illi sunt essentialia; sicuti *animal rationale*. Hæc definitio fit per explicationem, extensionem, seu distinctionem partium essentialium definiti, & cum hoc partes Metaphysicas habeat, genus videlicet, & differentiam, ex quibus metaphysicè componitur, & ut plurimum partes

partes physicas, ex quibus physicè, & realiter est compositum, fit definitionem essentiali aliquando dari per partes Metaphysicas, quæ propriè sunt genus, & differentia, sicuti in hac definitione *animal rationale*, in qua *animal* verum genus, & *rationale* vera differentia reperiuntur, aliquando per partes physicas, ut cum dicimus *homo est corpus animatum & anima rationale*, in qua definitione, materia, et si genus non sit, vices generis habet, quia generi similis est in hoc quod est esse multis commune; & anima immediatè respicit differentia, quia huic similis est in hoc quod est esse proprium definiti, nullique ab ipso distincto convenire.

- 6 Definitio descriptiva dicitur, quæ explicat essentiam definiti per ea, quæ sunt extra illius essentiam, hoc est, per passionem, & proprietates. Hæc datur aliquando per propriam passionem definiti, ut cum dicimus *homo est animal risibile*, in qua natura hominis explicatur per potentiam ridendi, quæ est propria hominis passio, & cum illo dicitur ad convertentiam. Aliquando datur per plura accidentia, quorum quodlibet est multis commune, illorum tamen collectio tantum convenit definito, ut cum dicimus *homo est animal implume bipes*, licet enim multis conveniat plumis carere, multaque duos pedes habeant, nullum tamen præter hominem utraque proprietate gaudet.

- 7 Definitio causalis est illa, quæ rei naturam per suas explicat causas. Hæc si detur per causas intrinsecas materialem videlicet, & formalem, *essentialis* est, quia huiusmodi causæ essentialis sunt composito, quod constituunt, quod est per illas definitum, & ita quidquid per causas intrinsecas definitur, per ea, quæ illi sunt essentiali definitione explicatur. Si definitio detur per causas extrinsecas finalem videlicet, & efficientem, poterit specialius hæc definitio ab essentiali condistingui. Exemplum definitionis traditæ per causam efficientem, est hæc vocis definitio, *vox est sonitus editus ab anima iectu aeris respiratione attracti cum ipsum ad fauces allidit*. Exemplum definitionis traditæ per causam finalem in hac hominis definitione habetur: *Animal creatum ut æterna felicitate, Deoque clarè visio perfruatur*. His definitionibus addunt nonnulli definitionem traditam per causam exemplarem, qualis hominis definitio, *homo est animal factum ad imaginem, & similitudinem Dei*. Interdum etiam res per plures illius causas simul sumptas definitur, ut cum dicimus: *Homo est animal factum à Deo ad imaginem, & similitudinem ipsius Dei, ut æterna felicitate perfruatur*. Huiusmodi omnes definitiones ad descriptivam possent reduci, sicuti definitio tradita per causas intrinsecas essentiali comprehenditur, & ita definitio adæquatè essentialis, & descriptivam rectè divideretur. Potest etiam ratione nostrâ distingui causalis definitio, etiam per causas intrinsecas exhibita à definitione essentiali, quatenus definitio essentialis præcisè ut essentialis, tantum dicit tradi per essentiam, & abstrahit ab hoc quod est tradi per causas, aut per non causas; & descriptiva dicit similiter tradi per ea, quæ non sint essentialia, & abstrahit à causis per quas tradatur, & à causarum negatione, & è contra causalis definitio dicat tradi per causas, & abstrahat à reliquis omnibus. Alio modo poterunt hæc tria membra inter se condistingui, si partitio fiat in definitionem purè essentiali, hoc est, essentiali non causalem; & purè descriptivam, & in causalem indifferentem ut sit essentialis, vel descriptiva.

- 8 Primum præceptum bonæ definitionis est, ut definitio sit clarius definito, hoc est, ut conceptus formalis in quo consistit definitio expressius & clarius representet rem definitam, quam illam explicabat conceptus formalis simpliciter nomini definiti correspondens. Itaque ut hæc sit definitio *animal rationale* conceptus respondens illius vocibus clarius & expressius debet exprimere suum obiectum, quam idem obiectum representat conceptus respondens huic voci *homo*, quæ definitum significatur. Ob hanc rationem oratio ista *arbor inanesa* quam nonnulli trahebant ad explicandam hominis naturam vitiosa est definitio, seu potius definitio dicenda non est, facilius enim agnoscam hominis naturam per hanc vocem *homo*, quam per hoc complexum *arbor inanesa*.

- 9 Secundum præceptum est ut definitio, & definitum conveniantur, ita ut teneat consequentia, est homo: ergo est animal rationale; & similiter, est animal rationale: ergo est homo. Hoc præceptum intelligendum est respectu

definiti proximi, seu adæquati, non verò, respectu definiti inadæquati, & remoti, licet enim semper valeat à quocumque definito ad definitionem, quia omnis definitio de quocumque definito dicitur, non tamen valet à definitione ad definitum inadæquatum, seu remotum. Rem declaro: hæc definitio *animal rationale* respicit tanquam adæquatum & proximum definitum rationem communem hominis, & tanquam definitum remotum Petrum, & Ioannem, ut volunt nonnulli asserentes conceptum hominis immediatè respicere rationem communem, & mediata individua sub tali ratione contenta; seu ut definitum adæquatum, ut volunt alij præcipuè ex non præcendentibus obiectis, qui asserunt Petrum, & Ioannem esse immediate significata per hanc vocem *homo*, & immediatum obiectum conceptus vocis illi respondentis, inadæquata tamen, quia tam vox quam conceptus attingunt collectionem individuorum, quod est præter hæc individua attingere reliqua ab ipsis distincta: siue ergo, Petrus sit definitum inadæquatum immediatè significatum non per se solùm, sed simul cum aliis; siue definitum remotum, non proximè, sed remotè significatum per vocem *homo*, & per conceptum huic voci respondentem, non dicitur ad convertentiam cum sua definitione, quia licet sit bona consequentia, est Petrus: ergo est animal rationale, non bene inferitur est animal rationale: ergo est Petrus. Nota insuper hæc definitio inadæquata, seu remota non definiti secundum proprios conceptus, ratione quorum inter se distinguuntur, sed quatenus conveniunt in ratione omnibus communi, videlicet in ratione hominis secundum quam, & non secundum individuales differentias Petrus definitur hac definitione *animal rationale*.

Tertium præceptum est ut quidquid dicitur de definitione, prædicetur de definito, & quidquid prædicetur de definito, dicatur de definitione. Hoc præceptum virtualiter in præcedenti continetur, & respectu definiti proximi, & adæquati nullam patitur exceptionem, respectu verò definiti inadæquati, & remoti, etsi prior pars nulla indigeat interpretatione, posterior interpretanda est de his, quæ conveniunt definito secundum rationem communem, secundum quam definitur: non verò de his, quæ illi conveniunt, quatenus est tale individuum, quia illa, quæ singulariter dicuntur de Petro, ratione propriæ differentie individualis, non dicuntur de animali rationali univèrsaliter sumpto.

Quartum præceptum est ut in definitione nihil desit, aut superfluum: ratione prioris vitij *viuens sensibilis*, non est definitio hominis, quia deficit *rationale*; & ratione posterioris hæc est mala hominis definitio *animal rationale mortale*, superfluum enim illud mortale inculsum in animali, cum omne animal mortale sit.

Quintum præceptum est ut definitio brevis sit, modò brevitatis obscuritatem non pariat. Nam cum definitio sit caput totius disputationis, vitio dabitur, si adeo sit longa, ut non possit faciliè memoria retineri, & semel atque iterum sine molestia repeti; nihil enim frequentius occurrit in disputatione quam definitio subiecti, de quo instituitur disputatio.

Rogant nonnulli an definitio possit tradi per genus mediatum, & ultimam definiti differentiam. Cui quæstioni respondeo melius semper tradi per genus immediatum, quod continet rationes omnes superiores, quæ sunt definitio essentialis. Deinde esse plura genera mediata, quæ coniuncta cum ultima differentia non rectam definitionem constituent, si enim ego ad definiendum hominem assumerem hoc genus mediatum illius *viuens*, illudque coniungerem cum ultima differentia, videlicet *rationale*, & hominem definirem *viuens rationale*, definitio esset vitiosa, quia etiam contineret Angelo; qui vivit vitâ rationali. Ultimò assero utcumque posse aliquando rem definiti per genus mediatum, & per differentiam infimam, si enim definiatur homo per corpus, quod est genus illius mediatum adiunctum differentie infimæ, & diceretur *homo est corpus rationale* (nomine corporis corpus completum intellige de prædicamento Substantiæ) utcumque definitio possit sustineri, nullum enim corpus rationale reperitur in rerum natura, quod non sit homo. Quod si possibilia inspicias, & in illis reperias aliquod corpus completum capax ratiocinandi, & non sentiendi, prædicta definitio non tantum homini conveniet, sed tali corpori, quod essentialiter differet ab homine ratione prædicari sensibili

sensitui reperti in homine, & inclusi in genere immediato videlicet animali, quod non reperiretur in illo corpore, neque includeretur in genere mediato, scilicet corpore.

Placet etiam advertere clariorem fore definitionem traditam per genus supremum, & omnes differentias vsque ad infimam in definitione positas, veluti si diceretur, *homo est substantia corporea, vivens, sensibilis, rationalis*, quam traditur dum dicitur, *homo est animal rationale*, quia tamen non solum consulendum est claritati, sed etiam breuitati, & satis clare traditur per genus immediatum, per hoc & differentiam vicinam, vt plurimum definitiones tradere consueuimus.

Hic disputant nonnulli an genus, & alia huiusmodi possint definiri; absretamen, vbi enim disputatio institueretur de genere, seu de aliis quibuscumque rebus, opportunius disputabitur an ipsa possint definiri. In presenti vero cum tantum agamus de definitione, tantum ad rem erit explicare quomodo definitio possit definiri. Opponunt nonnulli: Hæc definitio, *Oratio explicans naturam rei*, respicit tanquam obiecta definita omnes definitiones: ergo respicit se ipsam: ergo idem definitur per se ipsum: ergo non per aliquid clarius, sed per æquæ notum, aut ignotum: ergo definitio non potest definiri, ne hæc inconuenientia inferatur. Respondeo prædictam definitionem respicere ex parte obiecti omnes definitiones particulares, quatenus conueniunt in quadam ratione simili, seu in ratione communi definitionis, & hæc ratione respicere se ipsam tanquam obiectum reflexe per se ipsam representatum; sicuti conceptus respondens huic voci *cognitio* respicit tanquam obiectum omnes cognitiones, & se ipsam, quia ipse est cognitio, & sicuti hæc vox *nomen*, significat omnia nomina quatenus similia, & consequenter se ipsam quatenus habet rationem nominis: Cum ergo definitio formalis nihil aliud sit, quam cognitio expressa, clara, & distincta alicuius obiecti, & cognitio illa se ipsam clare, expresse, & distincte representet, erit sui ipsius definitio.

Neque hac ratione inferuntur, quæ obiectione afferbantur, videlicet idem definiri per se ipsum, quia inconueniens non est idem vt obiectum definiri per se ipsum tanquam per definitionem formalem, esset autem inconueniens si idem per se ipsum vt obiectum definitionis formalis definiretur. Præceptum autem illud, definitio debet esse clarior definito, non ita intelligendum, vt definitio formalis clarius debeat cognosci definito, quia vt obiectum aliquod definitur, illius definitio neque clare, neque confuse debet cognosci, cum enim dico, *homo est animal rationale*, hominem definit, & illius formalem definitionem non agnosco, quæ si esset cognoscenda, forsitan difficilius cognosceretur, quam illius definitum agnosceretur, in quo sensu tantum infertur definitionem non esse clariorem definito, quod absurdum non est; non tamen ex eo quod definitio, per se ipsam definitur, inferatur conceptum formalem definitionis non clarius representare obiectum definitum, quam representat idem obiectum conceptus formalis definiti, quod absurdum esset, & in quo sensu prædictum præceptum est intelligendum.

PUNCTUM II.

De Diuisione.

Diuisio Physica est quedam separatio partium, quæ antea vnita totum constituiebant, veluti cum lignum in duas partes secatur, tunc diuidi dicitur. Ex hac diuisione desumpta est Dialectica diuisio, quæ est *oratio totum in suas partes distribuens*. Huiusmodi est actus, quo dico, *animal aliud homo, aliud brutum*, ex vi cuius animal quod est quoddam totum potentiale distribuitur in distinctas species, quas sub se continet tanquam partes.

Secundum hanc diuisionis definitionem omnis diuisio totius in partes dicenda esset, assignantur tamen distinctæ diuisiones, in quibus vna specialiter diuisio totius in partes dicitur, quia ex vi illius separantur partes quæ actu componebant totum actuale. Est igitur triplex diuisio.

Præc. de Causa, & Philosoph. Tom. I.

Præterea dicitur diuisio generis in species, alia totius in partes, alia demum subiecti in accidentia, quæ proprius subiecti per accidentia diceretur. Diuisio generis in species est illa, ex vi cuius genus, quod antea erat totum quoddam potentiale, secatur in species oppositas tanquam in partes, ex quibus componebatur; veluti cum diuiditur elementum in ignem, aërem, terram, & aquam. Ad hoc genus diuisionis reducitur particio speciei in indiuidua, v.g. hominis in Petrum, Ioannem, &c.

Diuisio totius in partes est illa, ex vi cuius totum secatur in partes, quibus actu componebatur. Ceterum cum partes quedam sint Metaphysicæ, aliæ Physicæ, ex his quedam essentielles, aliæ integrantes, & ex his quedam homogeneæ, aliæ heterogeneæ, sic his omnibus partibus distinctis diuisiones distinctæ correspondent. Diuisio in partes metaphysicas est oratio, ex vi cuius diuiditur totum in partes, quibus metaphysicè componebatur; veluti cum diuiditur homo in animal, & rationale. Diuisio essentialis in partes physicas est oratio, quæ totum diuiditur in partes physicas essentielles, quibus physicè componebatur; veluti cum dicitur hominis alia pars est corpus, alia anima, & sic reliquis partibus proportionem seruata similes respondent diuisiones.

Diuisio subiecti in accidentia vulgò dicitur, quæ diuiditur homo in album, & nigrum, quæ strictè loquendo non ita deberet appellari, quia cum ego diuido hominem in album, & nigrum, non diuido hominem in albedinem, & nigredinem, quæ sunt accidentia, quia si ita fieret diuisio, faceret hunc sensum: hominum quidam est albedo, alius nigredo. Deinde nihil potest diuidi nisi in ea, quibus constat, & quæ includit actu vel potentia, sed subiectum non constat accidentibus, neque ex illis actu, aut potentia componitur: ergo subiectum non diuiditur in accidentia. Dicenda ergo est prædicta diuisio, *diuisio subiecti per accidentia*, quia ex vi illius diuiditur subiectum in communi in distincta subiecta, quorum vnum habet hoc accidens, & alterum illo caret, seu habet oppositum. Cum enim diuido hominem in album, & nigrum, diuido collectionem hominum, quæ est totum quoddam aggregatum constans distinctis hominibus tanquam partibus in duas hominum classes, quæ sunt partes diuisi, & inter se distinguuntur ex eo, quod homines huius classis habeant albedinem, & homines illius classis habeant nigredinem, quod est distinguere partes subiecti, seu totius diuisi per albedinem, & nigredinem, & ita diuisio ista subiecti per accidentia propriè dicitur. Diuisio alia quæ solet assignari accidentis in subiecta, quæ fit dum dicitur, *Potentiarum quedam anime inherere, alia corpori*, ad præcedentem potest reduci, & propriè non diuisio accidentis in subiecta, sed accidentis per subiecta dicenda est propter eandem rationem, quæ modò dicebam subiectum non diuidi in accidentia, sed per accidentia, ex vi quorum subiectum hoc ab illo secernitur.

Ad idem genus subiecti in accidentia reducenda est diuisio, ex vi cuius genus diuiditur per differentias oppositas præcisè sumptas; animal, verbi gratia per rationale, & irrationale, quod dicendum est per differentias diuidi, non verò diuidi in differentias, quia genus nullo modo componitur ex differentiis, sed ex speciebus in quas diuidi potest tanquam in partes potentiales. Postquam hanc doctrinam semel & iterum scripseram, illam à Fonseca doctè traditam inueni libr. 4. capit. 8. vbi notat nunquam dixisse Porphyrium genus diuidi in differentias, sed per differentias, ibidemque refert Boetium asserentem genus non diuidi in differentias, sed in species.

Diuisio vtilissimum est sciendi instrumentum, quod docuit Aristoteles libr. 2. *Posteriorum*, capit. 14. & libr. 1. *Topicorum*, cap. 14. cuiuscumque rei definitionem inuestigare; quod hac ratione optimè fiet: sumatur genus quoddam rei definiendæ aliis commune, verbi gratia intendendo definire hominem, assumo genus supremum nempe substantiam, quod diuido per differentias in substantiam corpoream, & substantiam incorpoream; ex quibus membris diuidentibus vnum homini non conueniet, nempe substantia incorporea, quod omitto, & alterum assumam, nempe substantiam corpoream: hanc homini conuenire necesse est ex suppositione quod illi membrum aliud diuidens non conueniat, inspicendum est, an illi tantum conueniat, an etiam aliis;

B *fi*